Jaeger. Disputationes Herodoteae
Duae. 1828

DISPUTATIONES
HERODOTEAE DUAE,

QUAS CONSENTIENTE

AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE

PRO FACULTATE LEGENDI

DIE X. MAII

DEFENDET

HENR. FERDINANDUS JAEGER,

PH. D. AA. LL. M.

GOTTINGAE,

TYPIS DIETERICHIANIS

MDCCCXXVIII.

Trans. from
D. S.
June 7, 1881.

DISPUTATIO I.

NONNULLA AD VITAM HERODOTI SPECTANTIA.

Vitae Herodoti cum rara admodum exstant eaque parum certa indicia, a serioris temporis scriptoribus nobis relicta, tum, ubi ad initium ejus et quasi caput te converteris, totum hunc locum in tenebris jacere videbis. De quo maxime constat, est annus Herodoti natalis, quem Olympiadis LXXIV primum satis explorate statuerimus, licet in loco Pamphilae, a Gellio XV, 23. allato, vox *videtur* conjecturae suspicionem movere possit. *) Attamen, cum omnia cetera ipsaque Herodoti loca non pauca op-

*) „Nam Hellanicus in initio belli Peloponnesiaci fuisse quinque et sexaginta annos natus *videtur*, Herodotus tres et quinquaginta, Thucydides quadraginta."

time huic aetatis definitioni respondeant, magno certe intervallo a vero aberrare nequit. Quod gravissimum est in hac re et loci, quo Herodotus collocatus est in serie historicorum Graecorum, respectu habito inprimis attendendum, in ratione consistit, qua cohaeret cum belli Persici tempore. Illud enim aetatis Herodoti spatium, quo maxime juvenile ingenium rebus externis moveri et ad meditandum incitari incipit, in eos incidit annos, quibus recenti adhuc memoria ferebatur hominum ore magni eventus fama. Tales rerum conversiones non solum externum mutant rerum ordinem, sed per omnes vitae humanae recessus permanant atque penetrant. Commonefactus magnitudine rei animus alio, ac antea, modo res humanas earumque vicissitudines considerat; nova accedit historiae lux, novum momentum. Hoc docent omnia tempora, docet recentissima rerum conversio. Ad talem vero de rerum cursu cogitationem, quam historiae Herodoteae subesse videmus, excitandam nulla res magis idonea esse potuit, quam haec ipsa bella Persica.

Qualia studia aluerint et auxerint juvenis ingenium, qualis praeceptor educaverit atque erudiverit, frustra quaerimus. Quod gravissi-

mum est, quodque inprimis latens desideramus, de eo maxime tacent. Si quid conjecturae loci est in tanta rei obscuritate, Homerum maximum institutionis Herodoti partem effecisse, tam est in aprico, ut teste non indigeamus. Ab Homero inprimis pueros Graecos in ludis literariis studia sua auspicatos esse, omnibus notum. Sententias, in Homeri carminibus expressas, easdem reperimus in Herodoto, licet perfectiores hic magisque excultas. Quam crebra lectione hunc poetam coluerit, docent etiam plurima loca, quibus similia dicta orationisque conformationes in scribendo ei excidisse videmus. Ita, ut uno exemplo acquiescamus, in loco III, 135, *καὶ ἅμα ἔπος τε καὶ ἔργον ἐποίεε*, obversabatur ejus animo Homeri versus, Il. τ. 242.

Αὐτίκ' ἔπειθ' ἅμα μῦθος ἔην, τετέλεστο δὲ ἔργον.

Multum etiam ad excitandum non solum, sed etiam colendum Herodoti ingenium Hecataei scripta fecerint oportet. Cujus magnum fuisse per Ioniam doctrinae nomen, pluribus indiciis cognoscimus. Herodotus, ubi tres illas rationes, quas inierant ad explicandas annuas Nili exundationes, quarum unius auctor Hecataeus,

Magni scriptore servata, Δεύνυσος, ab Herodoti dialecto aliena. Dubium non esse videtur, quin dialectus, qua Herodotus usus est, fuerit forma dialecti Ionicae Carica *), eadem, qua et Hecataeus scripserat, Milesius. Ad hujus potissimum et orationis et linguae rationem sese conformaverit necesse est; quaeque exstant Hecataei fragmenta, magnam ostendunt utriusque sermonis similitudinem.

Abhinc priusquam ceterum vitae Herodoti cursum persequamur, denuo nobis exagitanda est quaestio de recitatione Olympica, idoneam simul praebitura accasionem, de habitu historiae Herodoteae et indole nonnulla monendi.

Res quam esset improbabilis, cum vidisset potissimum Dahlmannus **), summaque argumentorum evidentia evicisset, nuperrime Heysius ***) rei paene desperatae magna conten-

*) Herod. I, 142.

**) Forschungen auf dem Gebiete der Geschichte. Zweiten Bandes erste Abtheilung. Altona, 1823.

***) l. cit.

tione suscepit patrocinium. Qui, cum plurima sint, quae seriorem libri aetatem clamant, hac ratione iis occurrit, ut statuat, Herodotum, peragrata antea Samo inde aut Halicarnasso Asia, librum primum, Asiaticas maxime historias complectentem, Olympiae recitasse *). Qua ratione, nostra quidem sententia, tantum abest, ut res expediatur, ut vel majore impediatur difficultate. Tacemur de argumento libri, neque quaerimus, num id accommodatum sit panegyri, toti ad peculiaris gentis indolem comparatae, nihilque, nisi Graeca admittenti. Quaerimus, quomodo Herodotus partem operis praelegere potuerit, quae, praeparans tantum et introducens ad primarium argumentum, cum toto tantum opere considerata intelligitur et finem habet, cum omnia, quae in ea continentur, non minus ac sequentia, pendeant ab historia belli Persici, eoque tendant. Quae enim primis XCV capitibus exponuntur tanquam introducentia, in promtu est ad sola spectare bella Persica, agentia accommodate ad historicam Herodoti ideam de prima inimicitiarum Graecos inter Asiaeque populos origine, quam in Croeso deprehendisse sibi visus — τὸν δὲ

*) l. l. p. 42.

οἶδα αὐτὸς πρῶτον ὑπάρξαντα ἀδίκων ἔργων ἐς τοὺς Ἕλληνας, τοῦτον σημήνας παραβήσομαι ἐς τὸ πρόσω τοῦ λόγου — more suo uberius de hoc et Lydorum rebus universe disserit. A capite vero XCV prior incipit totius operis pars, quae imperii Persici, cujus cum Graecia concursus finem operis atque summam constituit, incrementa atque progressus lectorum animis subjicit, quae pars ibi demum terminatur, ubi ipsa bellorum Persicorum narratio incipit.

Proficiscitur vero Heysius ab ea opinione, qua singulae libri partes separatim primum a nostro conscriptae et postea demum ad unum corpus conjunctae esse putantur. Quod aliquatenus probabile esse, concedimus, quousque vero pertineat, id accuratius definiendum. In universum liquet, in opere hocce condendo certam definitamque Herodoti animo obversatam esse descriptionem, certum ordinem rerumque seriem. Ubique respiciuntur ceterae narrationis partes, ut, quis cuique rei locus sit, diligentissime distinguatur. Quod quidem luce clarius apparet ex iis locis, quibus scriptor aut ad antecedentia aut ad sequentia nos remittit. II, 38. τὰ ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ ἐρέω (innuit locum III, 28.); II, 161. remittit ad IV, 159;

IV, 1. ὡς καὶ πρότερόν μοι εἴρηται (I, 103. 106.); V, 4. εἴρηταί μοι (IV, 94.); V, 22. — καὶ δὴ καὶ ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι ἀποδέξω ὡς εἰσι Ἕλληνες (VIII, 137); V, 36. ὡς δεδήλωταί μοι ἐν τῷ πρώτῳ τῶν λόγων (I, 92.); VI, 19. τῶν δ' ἐν τῷ ἱρῷ τούτῳ χρημάτων πολλάκις μνήμην ἑτέρωθι τοῦ λόγου ἐποιησάμην (I, 92. II, 159.); VI, 39. τὸν ἐγὼ ἐν ἄλλῳ λόγῳ σημανέω ὡς ἐγένετο (c. 103); VII, 93. οὗτοι δὲ οἵτινες πρότερον ἐκαλέοντο, ἐν τοῖσι πρώτοισι τῶν λόγων εἴρηται (I, 171.).

Iam quidem multa sunt, quae tanquam separati λόγοι s. commentarii exarata fuisse videntur ante totius operis confectionem. Haec vero ea tantum sunt, quae cum primariae narrationis serie minus cohaerent, ut liber secundus, de Aegypti rebus agens, digressio de Scythis, de Libyae populis libro quarto aliaque. Quae omnia cum laxius cohaereant cum primario argumento, non temere inde colligatur, ea antea jamjam a scriptore elaborata, apto deinde loco narrationi inserta esse. Longe vero alia est ratio eorum, quae primo libro exponuntur, quae, proficiscentia a primario scriptoris consilio, hoc uno continentur, ut, parvis exceptis particulis, quibus aut ad Lydorum

res regreditur, aut Medici imperii historiam repetit, nullo modo separatim recitari potuerint. Ita et omnes ceterae partes ita inter se colligatae atque implicatae sunt, atque a libri summa ita pendent ut hac descriptione et hoc connexu sublatis, concidant omnia atque dilabantur. Talis vero operis ratio non ante ab Herodoto mente potuit designari, quam ceteris etiam itineribus confectis et magna, quas exponit, rerum copia collecta.

Ad haec si consideramus, scriptorem ne absolvisse quidem opus, sed imperfectum reliquisse, nihil jam amplius est, quo se opinio illa sustentet, qua Olympiadis jamjam LXXXI anno primo pars libri celebratissimae panegyri praelecta esse putatur.

Fine carere librum ulteriusque ex scriptoris consilio tetendisse, recte jamjam monuit Dahlmannus p. 48, 137, 217, quod non erat negligendum Heysio, gravissimum quippe ad nostram quaestionem.

Ubi desinit liber, nemo non desiderabit finem, et locus VII, 213 — ὁ δὲ Ἀθηνάδης οὗτος ἀπέκτεινε μὲν Ἐπιάλτεα δι᾽ ἄλλην αἰτίην,

τὴν ἐγὼ ἐν τοῖσι ὄπισθε λόγοισι σημανέω — sponte nos admonet ulteriorum, quas scriptor in animo habuerit, partium, cum nusquam in sequentibus de Ephialtae nece ejusque auctore Athenada commemoratum aliquid videamus. Quae res Wesselingium jamjam ad eandem cogitationem adduxit, in nota ad hunc locum dicentem: „Proinde aut oblitus eorum scriptor est, aut desunt multa."

Sed ne in mediis quidem partibus perfectum librum esse omnibusque partibus absolutum cum Dahlmanno *) concedimus. Plura in hisce occurrunt, quae uberius exposuisse auctorem probabile est, si, ut totum institutum absolveret, fato ei concessum fuisset. Ita neminem non offendet brevis commemoratio rebellionis Aegyptiorum initio libri septimi, consuetudini auctoris, uberius omnia exponendi, quae cum narrationis argumento cohaerent, minime respondens. Non minus patere mihi videtur, eam libri quarti partem, quae in rebus Libycis enarrandis versatur, vel totam vel ex parte adumbrationem tantum esse, non eam operis amplitudinem, quae consilii scriptoris

*) l. l. p. 217.

fuerat. II, 161. promittit, se rem ἐν τοῖσι Λιβυκοῖσι λόγοισι μεζόνως ἀπηγήσεσθαι, quam loco, quem innuit IV, 159, brevissime videmus commemoratam. Herodotum vero singularem de rebus Africanis commentarium scripsisse aut scribere in animo habuisse, nulla est causa, cur existimemus.

Hic denique dicendum nobis etiam est de Assyria, quae fertur, Herodoti historia. Quam perculiari ab Herodoto enarratam fuisse libro, solo, qui ad hanc rem afferri possit, Aristotelis *) loco, dubio praeterea lectionis varietate, probari nequit. Tota hujus loci ratio poëtam potius, quam historicum videtur indigitare. Ut taceam vocem πεποίηκε, a seriore scriptore, qualis Aristoteles, et in verborum delectu accurato, vix alia nisi fingendi, comminiscendi significatione usurpatam, verba ἠγνόει τοῦτο non possunt indigitare eum, qui rem, ut quae vere acciderit, tradidisset, qui potius (aut ejus testes) mendacii erat accusandus **). Praeterea

*) Histor. animal. VIII, 20. Schneider.

**) — ἀλλὰ Ἡρόδοτος ἠγνόει τοῦτο (τὰ γαμψώνυχα ἄποτα πάμπαν εἶναι). πεποίηκε γὰρ τὸν τῆς

rei commemoratae argumentum poëtici magis figmenti indolem prae se ferre videtur. Sed ne cogitasse quidem Herodotum de Assyriorum rebus separato libello tractandis crediderim, imperfecto adhuc opere primario. Cui opinioni repugnat praeterea universa scriptoris ratio, omnia hoc uno quasi corpore complectendi *). Itaque hanc etiam historiam digressione aliqua narrationi inserendam in scriptoris proposito fuisse censemus, et quidem ultima libri tertii parte, ubi Babyloniae per Zopyrum recuperatio optimam praebebat occasionem. Aptissimus vero hic erat locus et rationi scriptoris convenientissimus, qua eundem ceterarum gentium res primariae imperii Persici historiae inserere videmus **). Quod vero I, 177 sqq. pluribus jamjam idem argumentum attigit, eadem haec est materiae paullo amplioris distractio, qua e. g. Athenarum etiam res partim *primo* partim *quinto* libro expositas legimus.

μαντείας προέδρον αὐτὸν ἐν τῇ διηγήσει τῇ περὶ τὴν πολιορκίαν τὴν Νίνου πίνοντα.

*) cf. Dahlmannum, l. l. § 38.

**) *Creuzer* h. K. p. 139.

Libri scriptionem in ultimam vitae Herodoti partem incidere, clamat denique totus operis color, senilis ingenii indolem redolens. Iudicandi disserendique ratio, per totum librum obvia, ut de vitae humanae conditione rerumque humanarum cursu, hominis est multas experti variasque res. Experientiae species, manifestissimum illud senis indicium, quae omnibus ejus dictis sententiisque subest, apud Herodotum cernitur etiam in sermonis quodam usu, quo e. g., ubi de numine divino animi sensus exprimit, locutione *φιλέει, φιλέει δέ κως* gaudet. Proprium enim huic aetati, omnia, tanquam ab experientia profecta, proferre. Quamvis praeterea Herodotus natura serena quadam animi hilaritate praeditus appareat, tamen ab hac etiam parte praevalens senectutis vis conspicitur. Refero hoc ad eam de rerum humanarum conditione disserendi rationem, qua mala potissimum in hominum vita obvia atque incommoda repraesentantur. V. inprimis, quae Artabano tribuuntur, cum Xerxe colloquenti VII, 46. — *αἵ τε γὰρ συμφοραὶ προσπίπτουσαι, καὶ αἱ νοῦσοι συνταράσσουσαι, καὶ βραχὺν ἐόντα, μακρὸν δοκέειν εἶναι ποιεῦσι τὸν βίον.* Subest hisce animi affectio, senili aetati quam maxime propria. Eodem pertinet magna

narrationis ubertas, qua et altius quaeque repetere et uberius persequi et copiosius exponere solet. Denique orationis etiam is est habitus, quo senile ingenium facile agnoscas. Est haec verbositas illa Herodotea, repetitionum et ambagum amans, quam Heysius aevo vix poterit tribuere. Et satis quidem notae sunt identidem recurrentes tales repetitiones: *συνεβάλετο ὧν ἐκ τοῦ ὀνείρου — ἐκ μὲν δὴ τῆς ὄψιος συνεβάλετο ταῦτα*, et quae sunt ejus generis. Ita etiam in eadem periodo vocem, quam jam antea posuerat, aut eandem repetere solet, aut ejus loco pronomen aliamve vocem, sensui superioris respondentem, usurpare, uti II, 124. *καὶ πρὸς τὸ Λιβυκὸν καλεύμενον ὄρος, πρὸς τοῦτο ἕλκειν.* Similia sunt I, 5. 82. 209; II, 13. 107. 129; VII, 221. Haec disseruimus, ut eorum, quibus senis illud proprium in libris Herodoti cerni nobis videretur, nonnulla attingeremus. Quae si cui minutiora forte videantur, cogitet, non tam singula, quam totam imaginem considerandam esse, neque externam potius speciem, quam indolem, ea latentem.

Jam, cum haecce libri indoles quam maxime pugnet contra juvenis Herodoti praelectionem,

videamus, quomodo Heysius hancce rem expediat. Is vero facili negotio rei difficultati ita occurrit, ut statuat, quae juvenis scripserit, ea, adhibitis postea castigationibus, mutata hancce formam accepisse *). Quibus omnia mutari corrigique posse concedo, formam, colorem, indolem libri non, nisi prorsus alius evadat.

Sed progrediamur abhinc ad ea, quae reliqua sunt, relicta longiore hacce quaestione, qua ostendisse nobis videmur, inane esse consilium, argumentis confirmare velle, quod natura sua improbabile est.

Gravissimam vitae Herodoti partem efficiunt itinera. In quae vellem penitius intueri liceret, quam fert vestigiorum paucitas. Ipse nunquam itinerum suorum accuratiorem mentiorem injicit, in sola occupatus rerum expositione. Unus tantum exstat locus, II, 44, quo partem itinerum designatam videmus. Quaestionem; quae ei in Aegypto oceurrerat, ulterius persecuturus, hinc Tyrum tendit, unde, viso templo Herculis Thasii, eidem quaestioni in-

*) v. p. 47.

tentus, Thasum proficiscitur. Qui bene attenderit ad rationem, qua haec proferuntur *), videbit, *seriem* itineris iis designari. Prodit vero ex hoc loco, quam lubrica sit res, sola conjectura ordinem horum itinerum constituere velle, si, quam hic conspicimus, eadem ratione ceterum etiam versatus est Herodotus. Ibi primum quaerendum esset, num peregrinator ipse certam sibi descripserit itinerum rationem, quod illo certe loco minime probatur. Itaque, ut certo fundamento haec quaestio nitatur, eo imprimis tendendum est, ut, quae in libris Herodoti passim occurrunt rei vestigia, diligentissime congerantur. Quae plurima adhuc suppedituram opinor attentam ad singula quaeque lectionem. Talis locus e. g. est II, 150. qui, Assyriam ab Herodoto ante peragratam Aegyptum visam fuisse, aliis certe accedentibus argumentis, comprobare videtur. Considerentur verba: — *εἰρόμην τοὺς ἄγχιστα οἰκέοντας τῆς*

---

*) *Καὶ θέλων δὲ τούτων πέρι σαφές τι εἰδέναι ἐξ ὧν οἷόν τε ἦν, ἔπλευσα καὶ ἐς Τύρον τῆς Φοινίκης, πυνθανόμενος αὐτόθι εἶναι ἱρὸν Ἡρακλέος ἅγιον. — εἶδον δὲ ἐν τῇ Τύρῳ καὶ ἄλλο ἱρὸν Ἡρακλέος, ἐπωνυμίην ἔχοντος Θασίου εἶναι. ἀπικόμην δὲ καὶ ἐς Θάσον κ. τ. λ.*

λίμνης, ὅκου εἴη ὁ χοῦς ὁ ἐξορυχθείς. οἱ δὲ ἔφρασάν μοι, ἵνα ἐξεφορήθη. καὶ εὐπετέως ἔπειθον. ᾔδεα γὰρ λόγῳ καί ἐν Νίνῳ τῇ Ἀσσυρίων πόλι γενόμενον ἕτερον τοιοῦτο. Ejusdem generis sunt loca, quibus diversarum regionum res inter se comparantur, veluti II, 170. λίμνη τέ ἐστι ἐχομένη — μέγαθος, ὡς ἐμοὶ ἐδόκεε, ὅση περ ἡ ἐν Δήλῳ, ἡ τροχοειδὴς καλεομένη. — I, 98. Ecbatana describens, urbis hujus ambitum comparat cum Athenarum magnitudine. Tales comparationes eo ipso loco menti occurrunt, cujus causa instituuntur. Eodem modo II, 7. via, a mari mediterraneo Heliopolin usque ducens, comparatur cum ea, quae Athenis Pisam ferebat. — Ceteris hicce supersedemus, ab aliis jamjam expositis. Singularum, quas Herodotus visitavit, regionum Heysius accuratissimum dedit recensum, cui vero num jure Bactriam eximat (p. 101), locus IV, 204. in dubium vocare videtur.

Perfectis longis itineribus revertisse eum statuimus Samum, qua, relicta Halicarnasso, sedem suam ac domicilium constituerat, liberam civitatem praeferens tyrannidis asperitati. Halicarnassus in vita Herodoti, qualis ex ejus opere cognoscitur, magis evanescit, cum Sa—

mum quacunque data occasione commemoratam videamus, ut jam hinc conjectare liceat, eum, mature relicta patria, abhinc domicilium suum Sami habuisse, ut neque, confectis itineribus, Halicarnassum, sed Samum se retulerit. Occupabatur hic sine dubio iis, quae in itineribus collegerat, diligentius et dispositius consignandis, inprimis rebus Aegypti, ubi non longe ante commoratus fuisse videtur. Eatenus verum est, quod Suidas tradit, Herodotum in Samo insula historiam suam scripsisse, quod non nisi ad alteram ejus in hac insula commorationem referri posse, per se patet.

Termini hujus vitae Herodoti partis satis accurate constitui possunt, adhibitis ab altera parte iis, quae Dahlmannus de tempore, quo in Aegypto commoratus fuerit, evicit, ab altera secunda illa Atheniensium contra Samum insulam expeditione, duce Pericle, cum Sophocles unus esset decem praetorum. Ponimus hancce Sophoclis praeturam cum Boeckhio in anno Olympiadis vel LXXXIV. quarto vel LXXXV primo. Vid. Boeckhius: Ueber die Antigone des Sophocles, erste Abh. Berl. 1824, cum: Nachträgliche Bemerkungen zu der Abhandlung etc., contra Seidlerum in: Dissertatio de tem-

pore, quo primum acta est Antigona (praefixa Erfurdtianae Antigonae editioni), et: A. L. Z. 1825. N. 26. Locis, quibus ab antiquis haec expeditio et Sophoclis praetura commemoratur, unum addo, quo tota res clariore in luce ponitur, communicatum mihi a V. Clariss. et Cel., C. O. Müller, Schol. in Ael. Aristid. p. 225, ed. Frommel. Recensentur ibi praetorum, qui huic expeditioni interfuerunt, nomina, quorum duo tantum, quae ultima sunt, excidisse dolemus: Τῶν δέκα στρατηγῶν τῶν ἐν Σάμῳ τὰ ὀνόματα κατὰ Ἀνδροτίωνα: Σωκράτης Ἀναγυράσιος, Σοφοκλῆς ἐκ Κολωνοῦ ὁ ποιητής, Ἀνδοκίδης Κυδαθηναιεύς, Χρέων Κ (lege: Σκ) αμβωνίδης, Περικλῆς Χολαργεύς, Γλαύκων ἐκ Κεραμέων, Καλλίστρατος Ἀχαρνεύς, Ξενοφῶν Μελιτεύς. Desunt nonus et decimus. Tempore hujus expeditionis Sophocles, si annum ejus natalem Ol. LXXI, 2. statuimus, annos natus erat vel LIV vel LV. Vitae Sophoclis scriptor addit, Sophoclem, cum praetor fuisset, quinquaginta quinque annos habuisse (ita enim scribendum: πεντήκοντα πέντε ἐτῶν). Jam exstat apud Plutarchum *) epigrammatis fragmentum, a Sophocle in Herodotum conditi, quod

*) An seni sit resp. gerenda c. 3.

vere a Sophocle profectum, non est, cur dubitemus, licet locum illum glossatori potius, quam ipsi Plutarcho tribuamus. Est vero epigrammatis illius initium hoc:

> ᾨδὴν Ἡροδότῳ τεῦξεν Σοφοκλῆς ἐτέων ὢν
> Πέντ' ἐπὶ πεντήκοντα.

Mirum quantum conspirat annus, epigrammate indicatus cum tempore expeditionis Samiae· Quid magis in proclivi est, quam hic simillima ingenia notitiam iniisse, hanc fuisse carminis faciendi occasionem, hoc anno Herodotum una cum Sophocle Athenas adiisse, longioris, quae inde sequebatur, obsidionis molestias evitantem *)? Quis est, quin hic arcta amicitia conjunctos sibi cogitet viros, quorum est tanta sentiendi conspiratio? quin videat oculisque intueatur familiari sermone animi cogitata communicantes, inprimisque Herodoti hilarem loquacitatem varia ex iis, quae viderat atque audiverat, depromentem? Inde certe manasse videntur, quae in Sophocle occurrunt, similium Herodoti locorum admonentia, Antig. vers. 900 sqq. coll. c. Herod. III, 119; Oed. Col.

*) Boeckh, Nachträgliche Bemerkungen, etc. p. 20.

v. 338 sqq. ed. Herm. coll. c. Herod. II, 35. Herodotus usque ad profectionem in coloniam Thurinam maximam partem Athenis versatus fuisse videtur. Quae cum hoc tempore non solum doctrinarum omni genere atque artium quam maxime florerent, sed etiam rerum gestarum dignitate reique publicae potentia atque gravitate eminerent inter Graeciae civitates, inprimis tunc mentem animumque hominum in se convertebant, magnamque attraxerant sapientissimorum et celeberrimorum virorum frequentiam. Ubi Herodotum per longius tempus commoratum fuisse, eo minus dubitare licet, quod hinc demum petenda ei erat plurimorum, quae in libris exposuit, accuratior notitia. Cujus rei causa versandum ei erat cum principibus civitatis viris, ad quos facilis aditus nostro, et generis nobilitate et opum affluentia insigni. Cum Pericle certe, principe Atheniensium, eum versatum fuisse, licet ejus rei nulla clariora exstent indicia, non temere conjecerimus. Admiratio magni viri subest loco VII, 131, quo ortus Periclis non sine peculiari quadam vi narratur; — *εἶδε ὄψιν ἐν τῷ ὕπνῳ, ἐδόκεε δὲ λέοντα τεκεῖν· καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας τίκτει Περικλέα Ξανθίππῳ.* Nec non animum nostrum in se converterit necesse est Anaxagoras philo-

sophus, qui Ol. LXXX, 1. Callia archonte philosophiam Athenis docere coeperat *), summaque inclaruerat nominis celebritate. Contra hunc potissimum directa est disputatio de Nili inundatione, II, 20 sqq., qua ea potissimum rei explicandae ratio **) refellitur, cujus Anaxagoram scimus auctorem. In eum dicta sunt, non solum, quae c. 20 in. leguntur: Ἀλλὰ Ἑλλήνων μέν τινες ἐπίσημοι βουλόμενοι γενέσθαι σοφίην ἔλεξαν περὶ τοῦ ὕδατος τούτου τριφασίας ὁδούς κ. τ. λ., sed inprimis, quae in c. 22 magis latent, τῶν τὰ πολλά ἐστι ἀνδρί γε λογίζεσθαι τοιούτων πέρι οἵῳ τε ἐόντι, ὡς οὐδὲ οἰκὸς ἀπὸ χιόνος μιν ῥέειν.

Quousque Herodotus Athenis manserit, et quando, iis relictis, Thurios discesserit, certo quidem nequit affirmari. Non vero dubitamus, temporis, quo Athenis commoratus sit, spatium vel ultra belli Peloponnesiaci initium extendere. Ratio, qua VI, 98 de malis belli

*) Anaxagorae Clazomenii fragmenta coll. Schaubach (Lips. 1827.), p. 15.

**) qua e nive Aethiopiae solis ardore liquefacta derivabatur. Schaubach, l. l. p. 179.

Peloponnesiaci loquitur, eum prodit, qui non fama tantum acceperit, sed ipse aliqua ex parte incommoda ejus funestaque expertus fuerit.

Olympiadis certe LXXXVII anno primo Herodotum Athenis adhuc fuisse, dilucida ostendit propylaeorum mentio, V, 77, τὸ δὲ ἀριστερῆς χερὸς ἕστηκε πρῶτον ἐσιόντι ἐς τὰ προπύλαια τὰ ἐν τῇ ἀκροπόλι, ἐπιγέγραπται δὲ οἱ τάδε κ. τ. λ. sequitur inscriptio. Propylaea vero aedificari coepta sunt archonte Euthymene; quinque demum annis post finis operi impositus, Harpocrat. s. h. v., — περὶ δὲ τῶν προπυλαίων τῆς ἀκροπόλεως, ὡς ἐπὶ Εὐθυμένους ἄρχοντος οἰκοδομεῖν ἤρξαντο Ἀθηναίοι, Μνησικλέους ἀρχιτεκτοῦντος, ἄλλοι τε ἱστορήκασι, καὶ Φιλόχορος ἐν τῇ τετάρτῃ. Ἡλιόδωρος δ᾽ἐν πρώτῳ περὶ τῆς Ἀθήνησιν ἀκροπόλεως μεθ᾽ ἕτερα καὶ ταῦτα φησίν: Ἐν ἔτεσι μὲν πέντε παντελῶς ἐξεποιήθη, τάλαντα δὲ ἀνηλώθη δισχίλια δώδεκα. Euthymenem scimus archontem fuisse Ol. LXXXV., 4. *); quintus abhinc annus est Ol. LXXXVII, 1. Ut igitur respiciamus ultimum vitae Herodoti cur-

*) Clinton, Fasti Hellenici (Second edition. Oxford, MDCCCXXVII.), p. 56.

sum, et brevi in conspectu ponamus, vidimus, tempus, quo ab itineribus redux, Sami habitavit, incidere in decennium 450 - 440. et quidem Olympiadem maxime LXXXIV. Non magnum intervallum intercessisse potest inter hanc Sami commorationem et tempus, quo Aegyptum peragravit, quod ex iis, quae Dahlmannus e loco III, 12 effecit (p. 68 sqq.), ut accuratiore definitione abstineamus, incidat necesse est in ultimam decennii 460 - 450 partem et decennium 450 - 440. Athenis denique habitavit ab anno 440 - 430, ne ulterius tempus hocce proferamus. Falsi igitur sunt, qui Herodotum cum primis statim coloniae conditoribus anno jamjam 444 Thurios discessisse statuunt. Pugnat contra hanc opinionem carmen Sophocleum, in annum 440 incidens, quod Thuriis demum Herodotum accepisse, parum est verisimile; pugnat maxime propylaeorum commemoratio, qua ejus Thurios discessus ultra annum Ol. LXXXVII, 1. rejicitur. Ita non quadragenarius, sed amplius quinquaginta annos habens Thurios profectus est. Quando se hic ad historiam condendam dederit, parum liquet; statim enim, postquam advenerit, scribere incepisse, causa non est, cur existimemus. Hic demum scriptor inclaruit, hinc opus

ejus innotuit. Haec Thurini cognominis causa*), quod saepius ei tributum videmus.

DISPUTATIO II.

DE MENTE HERODOTI.

Dux fuit hujus quaestionis imago universalis idearum historiae, s. historiae ingenii humani, quae penetrans in cujusque aetatis cogitata, sensa, notiones ostendit eorum progressum, cultum ac interiorem connexum. Quae quam late patet et ambitus amplitudine et argumentorum copia ac varietate, tam frequentia requirit plurimorum studia, singulo quoque minutam ingentis operis particulam suscipiente.

In Graecorum ingenii historia, gravi illa quidem et late patente totius parte, non minimo momento eminet spatium illud, in quod incidit aetas Herodoti. Cujus si contemplamur diversa ingeniorum studia, amoenissima animo nostro repraesentatur imago transitus ad novam

*) Loca congesta vide apud Heysium, l. l. p. 70 sq.

humanitatis formam. Quam hic quisque locus suum habet, quo allectat, quo tenet contemplatoris animum! Quam, quo latius studia nostra extendimus, in nova semper incidimus, ante non animadversa, ornamenta!

In viris, hac aetate insignibus non ultimo loco occurrit nobis Herodotus, cujus mens dignissimum praebet investigatione argumentum, eo gravius ad totam Graecae gentis historiam, quo sentiendi ille modus, in Herodoti libris expressus, magnam partem talis est, qualem cuique temporis illius cultiori homini Graeco tribuerimus. Ita enim fert vitae Herodoti ratio, qua non solitariis meditationibus, sed conventu colloquiisque hominum excoluit animum atque erudivit.

Mentem quam hic dicimus Herodoti (quo sensu, explicatione vix indigere videtur), eandem philosophiae nomine saepius appellatam videbis, quod eum non offendet, qui non tam linguae arbitrium, quam rei vim et naturam spectare sibi proposuit. Quod si enim ea tantum mentis agitatio ad rerum universitatem comprehendendam philosophiae nomine insigniri solet, quae definitis notionibus et strenuo

artis connexu nititur; gradus (numquam accurate circumscribendi) eo potius, quam ipsius rei naturae discrimen indigitatur. Eadem vis mentis cernitur, licet, sensu praevalente, subtilis notionum distinctio et disciplinae ratio desit. Quod quidem cadit in Herodotum nostrum, cujus animi haec primaria est indoles, quod sensu magis movetur, quam cogitationis claritate. — Jam cum plenam perfectamque mentis Herodoti cognitionem ipsa tantum libri lectio, ipsaque scriptoris verba praebeant, id potissimum agendum est, ut, quae summa sit omnium, quisque singulorum connexus, brevi delineatione in conspectu ponatur *). Cum enim facile in tali ne adducamur, ut justo latius orationem effundamus, aut res tritissimas dilatantes, aut philosophantium specie nugantes,

*) Omnibus enim, quae in diversis operis Herodotei partibus exprimuntur, senteutiis idem subest sensus, diversis tantum modis et a diversis partibus sese prodens. Haec est unitas, qua cohaerent inter se atque continentur. Qui aliud hic vident, nisi ipsum Herodoti animum, sese prodentem, operisque tantum consilio et ratione contineri autumant hasce sententias, vereor, ne fingant sibi potius Herodotum suum poëmaque Herodoteum, quam libere percipiant.

ab hoc maxime cavendum mihi duxi, brevitatem ratus optimam rei bene perceptae testem.

Aetas Herodoti in illud incidit historiae Graecae momentum, quo discerni videmus antiquam et novam Graecae gentis culturam. Quam utramque pluribus hicee describere, et longius esset et ab instituto nimis remotum; ut verbo rem attingamus, discriminis summam designasse nobis videmur, altera *religiosa*, altera *philosophica* appellata. Ita apparet hocce tempore duorum ingenii studiorum oppositio quaedam atque diversitas, quae etiam in scriptoribus, qui ex aevo illo ad nos pervenerunt, non parum est conspicua. Nominasse sufficit Aeschylum, Sophoclem, *Herodotum* ab altera, Euripidem, Thucydidem ab altera parte. Auctor illis Homerus, antiquae Graecorum culturae fundamentum, his Anaxagoras. Quod discrimen cum potissimum cernatur in relatione, inter singulorum virorum sententias et publicam Graecorum religionem intercedente, ad hanc potissimum nobis erit attendendum. In universum in aprico est mentis Herodoti cum patria religione conspiratio. At non minus elucet, eum, altiore collocatum loco, judicantem potius, quam temere credentem ad eam accedere.

Cognoverat multorum populorum religiones; peregrina et inter se et cum patriis comparaverat. I, 131. — ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς (Πέρσαι), κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι. Videt, sua cuique genti optima videri, licet contraria aliarum gentium institutis III, 38. Animadvertimus praeterea in ejus vita studium altioris rerum divinarum cognitionis. Initiatus erat mysteriis Samothracum II, 51. Cereris II, 171. et Bacchi II, 49. L. II, c. 171. gnarum se prodit Saiticorum mysteriorum. Hic, in Aegypto, Graecorum deorum originem, sapientiae omnis fontem invenisse sibi videtur, ut I, 60. Aegyptios σοφωτάτους ἀνθρώπων appellare non dubitet. Haec omnia vero ejus tantum sunt, qui, non acquiescens publica religione, altiorem desiderat de rebus divinis sensum. Convenit cum hoc locus ille classicus II, 53, quo sententiam suam planissime eloquitur: οὗτοι (Ἡσίοδος καὶ Ὅμηρος) δὲ εἰσι οἱ ποιήσαντες θεογονίην Ἕλλησι, καὶ τοῖσι θεοῖσι τὰς ἐπωνυμίας δόντες, καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες, καὶ εἴδεα αὐτῶν σημήναντες. Quae poëtarum figmentis tribuuntur, ea patet repudiari. Praeterea non negligendus nobis est locus VII, 129. ὅστις γὰρ νομίζει Ποσειδέωνα τὴν γῆν σείειν, καὶ τὰ

διεστεῶτα ὑπὸ σεισμοῦ τοῦ θεοῦ τούτου ἔργα εἶναι, καὶ ἂν ἐκεῖνο ἰδὼν φαίη Ποσειδέωνα ποιῆσαι, ubi non sine vi et momento aliquo esse possunt verba: ὅστις γὰρ νομίζει. Haec vero vis quaenam alia esse possit, nisi dissentientis, non video, conferens inprimis loci paullo ante laudati verba: καὶ τιμάς τε καὶ τέχνας διελόντες.

Ex hisce omnibus colligitur, rei summam, qua Herodotus a publica religione dissentientem se prodit, esse naturam, vim, singulis diis tribuendam. Ulterius vero non progrediendum, neque numeri singularis ille usus θεός, θεῖον, δαιμόνιον, ita accipiendus, quasi, unum deum statuens, Graecorum deos sustulerit. Videatur e. g. ratio, qua de Cerere loquitur IX, 65, ubi, mirans, pugna ad Plataeas facta, neminem hostium in loco Cereri sacro repertum fuisse, ait: δοκέω δὲ, εἴ τι περὶ τῶν θείων πρηγμάτων δοκέειν δεῖ, ἡ θεὸς αὐτή σφεας οὐκ ἐδέξατο, ἐμπρήσαντας τὸ ἱρὸν τὸ ἐν Ἐλευσῖνι ἀνακτόριον. Itaque neque deos Herodotus tollit, neque cum Anaxagora solem μύδρον διάπυρον appellat, de quo potius II, 24. οὗτος ὁ θεός.

Jam notioni dei cum hoc sit proprium, ut rerum varietatem unitate comprehendat, seor-

sum spectari possunt natura dei et relatio, qua ad res singulas pertinet. De natura deorum quid senserit Herodotus, et quatenus hic opiniones, quae publicae Graecorum religioni suberant, reliquerit, latet, cum pia ubique verecundia intactum hunc locum relinquat. Relationis vero, qua numen divinum ad rerum universitatem pertinet, cogitationem clare videmus et aequali in omnibus libri partibus modo expressam. Cujus cogitationis magna est in hominum ingeniis diversitas, quippe quae ingenii indolem maxime constituat. Forma ejus, in Herodoto obvia, in universum est *moderationis* cogitatio, cujus accuratior definitio proposita est institutae [quaestioni. Haec cogitatio, a sensu religioso animi et extrinsecus recepta rerum specie diversis tanquam partibus profecta et quasi conflata, summa est philosophiae Herodoteae. Haec est notio, qua complectitur rerum universitatem (sein Weltbegriff), quae explicata efficit id, quod philosophiam hominis dicimus.

Jam in notionis hujus explicatione ordiendum nobis est a constituenda ratione cognatarum notionum, ex eodem fonte promanantium.

Sensus imbecillitatis impellit hominem ad cogitandam vim, cui obnoxius sit a quaque pendeat. Quae cogitatio si tam parum est definita, ut nihil sit, nisi obscurus rerum in nos irruentium sensus, quarum neque connexus neque natura atque origo mente concipiatur, habemus id, quod appellatur nomine *fortunae*, τύχης, cui propria temeritas atque inconstantia. Definitior est notio *fati*, accedente cogitatione necessitatis, aut ipsis rebus inhaerentis aeterno causarum nexu, aut extrinsecus impositae. Hac denique auctior est perfectiorque ea, de qua hic agimus, moderationis divinae cogitatio, qua certo constitutus rerum ordo (fatum) ad mentis vim consiliumque revocatur. Ita inter fati et divinae moderationis notiones hoc discriminis est, quod altera simplicior est, altera latius patet, quippe quae praeter rerum necessitatem rationis contineat notam, qua res procedant, numinis vi constitutae. Notio vero fortunae eo tantum ab his differt, quod minus definita est, vaga magis et obscura. Primaria vi primoque fonte omnes conveniunt. Ita fit, ut in Herodoto, non secus ac in aliis historiarum scriptoribus, diversas hasce notiones pluribus locis et commutatas et

conjunctas videamus. Nihilo minus, quam ea-rum propriam diximus Herodoti menti, ita ubique elucet atque praevalet, ut latere ne-queat. Ita IV, 8. occurrit θείῃ τύχῃ, quo θεός et τύχη conjunguntur. Idem V, 92 (3). IX, 91. εἴτε κληδόνος εἵνεκεν θέλων πυθέσθαι, εἴτε καὶ κατὰ συντυχίην, θεοῦ ποιεῦντος. Ita etiam conjungi possunt fati et dei (tanquam rerum moderatoris) notiones, cum illa hac involvatur. Ita IX, 16. ὅτι δεῖ (de quo infra) γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ.

Moderationis divinae habito respectu vis divina ab Herodoto vocibus θεός, θεῖον, δαιμόνιον una notione comprehenditur. Agnosci-tur hic sensus quidam unitatis, unam in rerum administratione vim, unum consilium postu-lans, latens ille vero et clarae notionis luce carens. Inde fluctuans illa dicendi ratio, qua modo de diis loquitur, accommodate ad Grae-corum polytheismum, modo singulari numero θεός utitur. Haec est inconstantia illa, quae orta conflictu extrinsecus acceptae institutionis propriique sensus animos nostros solet occu-pare, donec aut alterutrum eorum repudiatum, aut utrumque conjunctum et conciliatum sit. Minime vero probari potest, discernere Hero-

dotum inter singulos deos et universalem vim divinam s. fatum, falsoque huc adhibeatur locus I, 91, *) quo ex Oraculi Pythici videlicet mente sententia Homerica (τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ) pronuntiatur. In universum Herodoti de numine divino sensus obscurus admodum et indefinitus fuisse videtur, ut cogitaret mentis vim, res humanas moderantem, qualis ea sit, nihil habens persuasum secum atque constitutum. Cernitur in hoc ipso verecundia Herodoti, quae penetrare velle in rerum sanctissimarum naturam impium ducens atque superbum, intactum potius hunc locum relinquit. Inde cavet ubique, ne justo plura de numine divino eloquatur, inde praefert formas θεῖον, δαιμόνιον, indefinito sensui exprimendo maxime idoneas.

Expositurис jam Herodoti moderationis divinae notionem, ea nobis ingrediendum est via, ut a simpliciore transeamus ad id, quod concretum magis est atque implicitum. Simplicissima notionis ejus forma ea est, qua sola continetur rerum necessitas, a numine divino imposita, *fatum*. Exprimitur fatum ab

*) Creuzer h. K. p. 149. 151.

Herodoto duobus potissimum verbis δεῖ et χρή hujusque substantivo χρεών. Alterum vides V, 92. (4) ἔδει (in fatis erat) δὲ ἐκ τοῦ Ἠετίωνος γόνου Κορίνθῳ κακὰ ἀναβλαστεῖν. cf. IX, 109. τῇ δὲ κακῶς γὰρ ἔδεε πανοικίῃ γενέσθαι. II, 161. IV, 179. Alterum habes I, 8. χρῆν γὰρ Κανδαύλῃ γενέσθαι κακῶς. Cujus substantivum eodem significatu occurrit VIII, 141. ἀναμνησθέντες τῶν λογίων, ὡς σφεας χρεὼν (fatum, εἱμαρμένη) ἐστι ἅμα τοῖσι ἄλλοισι Δωριεῦσι ἐκπίπτειν ἐκ Πελοποννήσου. Praeterea utitur etiam nomine πεπρωμένον, III, 64. ἐνθαῦτα Καμβύσεα τὸν Κύρου ἐστὶ πεπρωμένον τελευτᾷν.

Fati propria ea vis est, ut tollat rerum singularum efficientiam. Homo, fato h. e. numinis divini voluntati subjectus, contra destinatum ab eo rerum ordinem nihil valet. IX, 16. ὅ τι δεῖ γενέσθαι ἐκ τοῦ θεοῦ, ἀμήχανον ἀποτρέψαι ἀνθρώπῳ. III, 43. ἔμαθε ὅτι ἐκκομίσαι τε ἀδύνατον εἴη ἀνθρώπῳ ἄνθρωπον ἐκ τοῦ μέλλοντος γίνεσθαι πρήγματος. Ita rerum etiam eventa non causarum nexu, sed fato continentur. Causae, quibus eventa adducuntur, considerantur tanquam rationes, quas deus ineat, ut, quae destinavit, rata reddat. Ut

Trojani non haberent, quam traderent, Helenam, Graecique iis fidem non haberent, a deo ita institutum est (*τοῦ δαιμονίου παρασκευάζοντος*); oportuit enim Trojanos perire. II, 120; cf. IX, 91. Aptissima hoc repraesentatur praetextus (*προφάσιος*) imagine, quem quaerens deus ad ea agenda homines impellat, quibus mala destinata adducantur, culpam quasi a se ad homines transferens. IV, 79. *ἐπεί τε δὲ ἔδεε οἱ κακῶς γενέσθαι, ἐγένετο ἀπὸ προφάσιος τοιῆσδε.* cf. II, 161.

Huic fati ideae convenienter neque supplicationibus earumque causa confectis sacrificiis vim tribuere videtur. Quod cernitur VII, 191. *ἔπαυσαν τετάρτῃ ἡμέρῃ, ἢ ἄλλως κως αὐτὸς ἐθέλων ἐκόπασε*, sc. ventus, quem Magi caesis victimis adhibitisque magicis incantationibus compescere studuerant (*ἔντομά τε ποιεῦντες, καὶ καταείδοντες γόησι τῷ ἀνέμῳ οἱ Μάγοι*). Adde ejusd. libr. c. 189. ubi, postquam narravit, Athenienses sacrificiis placasse et auxilio invocasse Boream, pergit: *Εἰ μέν νυν διὰ ταῦτα τοῖσι βαρβάροισι ὁρμέουσι ὁ Βορῆς ἐπέπεσε, οὐκ ἔχω εἶπαι.*

Ceterum nemo, opinor, hic quaeret, pugnam illam quomodo composuerit Herodotus

necessitatem inter, qua rerum eventa continentur, et liberam hominis efficacitatem. Haec enim fati cogitatio cum sensu potius nitatur, quam clara atque distincta mentis notione, quis tantam hic exspectet constantiam? „Bona consilia exitum etiam prosperum adducere solent, vim habent ad constituenda rerum eventa" inest verbis VII, 157. τῷ δὲ εὖ βουλευθέντι πρήγματι τελευτὴ ὡς τὸ ἐπίπαν χρηστὴ ἐθέλει ἐπιγίνεσθαι.

In historiae Herodoteae ratione ea est notionis hujus vis, ut tollatur internus rerum connexus (pragmatismus), cum omnia extrinsecus imposita necessitate contineantur. Huc etiam pertinet crebra oraculorum mentio, isque in narando servatus ordo, quo oracula rerumque eventa ubique sibi respondent.

Ceterum, uti notionem fati, ita neque, quae ea nititur, libri indolem constanter ubique servatam conspicimus. Non desunt crebra exempla pragmaticae rerum expositionis. III, in. causae enarrantur, quibus adducta sit Cambysis adversus Aegyptum expeditio (— τοῦτο δὴ

τὸ ἔπος καὶ αὕτη ἡ αἰτίη ἐγγενομένη ἤγαγε Καμβύσεα τὸν Κύρου ἐπ' Αἴγυπτον *).

Hucusque Herodoti moderationis divinae cogitationem ab ea tantum parte consideravimus, qua necessitatem rebus tribuit. Dei vero notionis haec est vis, ut consilium simul cogitetur et ratio, qua res ab eo constituantur. Quo respectu, ut summam complectamur, deus Herodoto est *auctor justae rationis.* Quae ratio aut ad vitam humanam universe tendit (*modus*), ut in relatione humana inter divinaque cernatur, aut ad mutuas hominum relationes (*aequalitas*).

Vitae humanae ex Herodoti mente certa destinata est conditio, et felicitatis quidam modus, quo humana distant a divinis. Quam rerum humanarum sortem deus tuens atque servans, reprimit hominum conatus, ultra modum sese efferendi. Allegorice hoc pronuntiatur Artabani verbis, VII, 10. (5): Ὁρᾷς τὰ ὑπερέχοντα ζῶα ὡς κεραυνοῖ ὁ θεὸς, οὐδὲ ἐᾷ φαντάζεσθαι, τὰ δὲ σμικρὰ οὐδέν μιν κνίζει; ὁρᾷς δὲ ὡς ἐς οἰκήματα τὰ μέγιστα αἰεὶ καὶ δένδρεα

*) *Creuzer*, historische Kunst. p. 159.

τὰ τοιαῦτα ἀποσκήπτει τὰ βέλεα; φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν. — οὐ γὰρ ἐᾷ φρονέειν μέγα ὁ θεὸς ἄλλον ἢ ἑωυτόν. Haec est primaria Herodoti divinae moderationis cogitatio, qua deus non tam is est, qui hominum res augeat atque provehat, bonorumque largitione genus humanum prosperet (δωτῆρες ἐάων *), quam, qui modum servet, temperantiamque tueatur.

In mutuis hominum relationibus justa illa ratio cernitur in *aequalitate*. Cujus auctor atque conservator deus prospicit, ne aut singuli justo majore felicitate inter ceteros emineant, aut civitates opibus viribusque nimium ceteras superent. Hoc sensu pronuntiata sunt, quae VIII, 13. leguntur. Ubi, commemoratis, quibus Persarum classis imminuta erat atque obtrita, detrimentis, ἐποιέετό τε πᾶν, inquit, ὑπὸ τοῦ θεοῦ, ὅκως ἂν ἐξισωθείη τῷ Ἑλληνικῷ τὸ Περσικὸν, μηδὲ πολλῷ πλέον εἴη. Deo ubi opponitur libera hominis actio, accedit huic notioni nota *justitiae* divinae, quae cernitur in justa rerum proportione contra hominum voluntates vindicanda. Moderatio divina hoc respectu

*) Hom. Od. θ', 325.

vocatur *νέμεσις*, quae et eadem duplici potissimum ratione considerari potest, quatenus aut ad res humanas universe tendit, divinis oppositas, aut ad mutuas hominum relationes.

Ut ad priorem rationem nos convertamur, hoc loco dicendum nobis est de *φθόνῳ θεῶν*, cujus tam frequens in libris Herodoti mentio. Hac enim locutione nihil aliud ab Herodoto significatur, nisi ipsa *νέμεσις*, ab hac parte considerata, qua cernitur in justa humana inter divinaque ratione contra superbos hominum altius sese efferendi conatus tuenda. Ὁ *θεὸς φθονερός* est deus modi superati vindex. Quo quidem sensu omnia loca inter se conveniunt. Ἐπισταμένόν *με τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν φθονερόν τε καὶ ταραχῶδες ἐπειρωτᾷς ἀνθρωπηΐων πρηγμάτων πέρι;* Solon dicit, ad magnas Croesi opes respiciens, I, 32. — *Mihi*, Amasis scribit Polycrati, *nimia tua felicitas non placet*, *τὸ θεῖον ἐπισταμένῳ ὡς ἔστι φθονερόν*, III, 40. — VII, 10. (5) — *ἐπεάν σφι ὁ θεὸς φθονήσας φόβον ἐμβάλῃ κ. τ. λ.* — VII, 46. — *ὁ δὲ θεὸς, γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών.* — Non minus poenae, quae ob injurias ab aliis illatas exiguntur, modum excedentes, excitant deorum invidiam, —

ὡς ἄρα ἀνθρώποισι αἱ λίην ἰσχυραὶ τιμωρίαι πρὸς θεῶν ἐπίφθονοι γίνονται, IV, 205. — Eodem sensu, quo alias φθόνος, I, 34. vocem νέμεσις adhibet: Μέτα δὲ Σόλωνα οἰχόμενον ἔλαβε ἐκ θεοῦ νέμεσις μεγάλη Κροῖσον, ὡς εἰκάσαι, ὅτι ἐνόμισε ἑωυτὸν εἶναι ἀνθρώπων ἁπάντων ὀλβιώτατον.

Itaque, ubi φθόνος numini tribuitur, non cogitandum de vitio humano animique affectione *), cum nihil aliud eo significetur, nisi ipsa νέμεσις. Illud certe parum conveniret pio Herodoti animo, quo summa ubique verecundia loquitur de numine divino, et honestissimos de eo prodit sensus, quo inprimis III, 108. sapientiam laudat, qua deus generi humano prospiciat, καί κως τοῦ θείου ἡ πρόνοίη, ὥσπερ καὶ οἰκὸς, ἔστι ἐοῦσα σοφή. Propria potius verbi φθόνος significatio, qua invidiam denotat tanquam vitium hominum, apud Herodotum imaginis tantum vim habet, quae vero, uti in plerisque notionibus, quarum voces ab aliarum rerum similitudinibus desumtae sunt, maxi-

*) Quo sensu Aristoteles discernit inter φθόνον et νέμεσιν, tres comparans animi affectiones, νέμεσιν, φθόνον, ἐπιχαιρεκακίαν, eth. Nicom. II, 7, 15.

mam partem evanescit. Poëtici magis figmenti et proverbialis fere dicendi formulae indolem prae se ferens eadem sententia apud alios recurrit, poëtas inprimis et historicos *).

Animadvertenda vero est, relationis, qua deus ad res humanas pertinet, respectu habito, praevalens apud Herodotum *oppositionis* cogitatio. Quae quidem cohaeret cum ea scriptoris vitae humanae consideratione, qua — est hoc e senilis ingenii indole — ad imbecillitatem potissimum ejus atque inconstantiam animum advertit, de qua non infrequentes in libris Herodoti querimoniae.

In mutuis hominum relationibus divina *νέμεσις* ita tuetur aequalitatem, ut injuriam sequatur vindicta. Deus injuriarum vindex. Parum vero inest perfectionis in Herodotea hacce justitiae notione. Unius delicti causa totam gentem oportet interire, II, 120. — *τοῦ δαιμονίου παρασκευάζοντος, ὅκως πανωλεθρίῃ ἀπολόμενοι καταφανὲς τοῦτο τοῖσι ἀνθρώποισι ποιήσωσι, ὡς τῶν μεγά-*

*) Vid. *Blümner*, über die Idee des Schicksals in den Tragoedien des Aischylos p. 93, et *Valckenáer* ad Herod. III, 40.

λων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ καὶ αἱ τιμωρίαι παρὰ τῶν θεῶν. — Quae majores commiserunt, luenda sunt posteris. Sententia de sera numinis vindicta, ad quam proclives sunt mentes, in rerum cursu occupatae, proficiscitur potissimum ab experientia, tali moderationis divinae cogitationi, qua peccatorem ubique poena assequatur, saepissime repugnante. Ita de iis, quae post mortem futura sint, licet quid senserit nusquam clare aperiat *), hoc tamen respectu Herodotum videmus moderationem divinam non ultra vitae humanae limites extendere. Accedit huc ea de numinis divini dignitate et, humana mediocritate superiore, praestantia cogitatio, qua admirabilis ei et a vulgari rerum ordine aliena tribuitur vim suam exserendi ratio. Ita intelligendus est locus VII, 137. τοῦτό μοι ἐν τοῖσι θειότατον φαίνεται γενέσθαι· ὅτι μὲν γὰρ κατέσκηψε ἐς ἀγγέλους ἡ Ταλθυβίου μῆνις — τὸ δίκαιον οὕτω ἔφερε· τὸ δὲ συμπεσεῖν ἐς τοὺς παῖδας —

*) Melioris post mortem futurae vitae cogitatio subest I, 31. διέδεξέ τε ἐν τούτοισι ὁ θεὸς, ὡς ἄμεινον εἴη ἀνθρώπῳ τεθνάναι μᾶλλον ἢ ζώειν. Similiter VII, 46. mors optatissimum refugium aerumnosae vitae dicitur.

δῆλον ὦν μοι ὅτι θεῖον ἐγένετο τὸ πρῆγμα ἐκ τῆς μήνιος.

Cum notione fati arctissimo connexu *) cohaeret divinationis opinio, cui Herodotum toto animo addictum videmus. Cernitur hic maxime religiosus ille Herodoti sensus, cui ubique apparet numinis divini efficientia, inprimis, ubi quid praeter consuetum rerum ordinem accidit. Hinc prodigiorum opinio enata, quae respiciens Herodotus, φιλέει δέ κως, inquit, προσημαίνειν, εὖτ' ἂν μέλλῃ μεγάλα κακὰ ἢ πόλι ἢ ἔθνει ἔσεσθαι, VI, 27. Eodem modo de motu illo Deli: καὶ τοῦτο μέν κου τέρας ἀνθρώποισι τῶν μελλόντων ἔσεσθαι κακῶν ἔφηνε ὁ θεός. VII, 57. ipsum legimus interpretantem prodigium, quod se obtulerat in exercitu Xerxis, cum equus peperisset leporem, εὐσύμβλητον ὦν τῇδε ἐγένετο, ὅτι ἔμελλε μὲν ἐλᾶν στρατιὴν ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα Ξέρξης ἀγαυρότατα καὶ μεγαλοπεπέστατα, ὀπίσω δὲ περὶ ἑωυτοῦ τρέχων ἥξειν ἐς τὸν αὐτὸν χῶρον. (Quis hic non recordetur Horatii versum: Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus? qui, licet ad

*) indicato etiam lingua, utrumque eodem verbo significante (χράω — χρή, χρεών, fatum).

poëtas referatur, carminum tamen genus designat, Xerxis huic expeditioni simillimum.)

Cernitur hic non parum discrimen veteris et novae culturae, cum penitioris naturae cognitionis haec sit propria vis, ut tollat prodigiorum momentum. Hoc respectu Herodotus eodem modo Anaxagorae oppositus est, quo Lampon ille, qui cum arietem, uno cornu insignem, pro prodigio haberet, ille physicam rei causam aperuit. Plut. Pericl. 6. ed. Hutten, T. I, p. 385. Terrae motus (VII, 57), ab Anaxagora ex spongiosa terrae natura derivatus *), Herodoto imminentia Graeciae mala praemonstrat.

Eandem fidem oraculis habet atque vaticiniis, sancitis celeberrimis Graecorum institutis. Quorum licet paullo alia sit ratio, eodem tamen sensu religioso, eademque fati idea continentur. Locus ad hanc rem classicus est VIII, 77. quo planissime auctor seutentiam suam pronuntiat, cujus si potissimum ultima respicimus — Ἐς τοιαῦτα μὲν, καὶ οὕτω ἐναργέως λέγοντι Βάκιδι, ἀντιλογίης χρησμῶν πέρι οὔτε αὐτὸς λέγειν τολμέω οὔτε παρ᾽ ἄλλων

---

*) *Scaubach*, Anaxagorae fragmenta p. 176.

ἐνδέκομαι, videmus, dicta haecce esse contra alios, haec ut inania deridentes, cum jam tum oraculorum momentum maxime laberetur. Ceterum asperius paullo Valckenarius ad locum illum annotat: Ob hoc unum dictum Herodotus, ἀνὴρ τὰ μὲν ἄλλα καλὸς κἀγαθὸς, censeri deberet τὰ περὶ μαντείας καὶ χρησμολογίας πάνυ νοσῶν. Talia enim non singula sunt dijudicanda, sed ita, ut tota scriptoris indoles spectetur.

Moderationis divinae notione continetur simul Herodoti sententia *de rerum cursu*. Aequalitas, quam tuetur numen divinum cernitur hic in perpetua magnitudinis, felicitatis et contrariorum vicissitudine. Vicissitudo est ordo et lex, qua rerum mutationes continentur ex mente Herodoti, cui progressus, incrementi idea aliena *). Haec vicissitudinis idea totam historiae Herodoteae constituit rationem, cujus non solum singulis in partibus mira quadam convenientia cernitur, sed consilio etiam et descriptioni fundamentum quasi subest. Haec est sententia, qua pronuntianda optime libro suo praefatur **).

---

*) I, 207. — ὡς κύκλος τῶν ἀνθρωπηΐων ἐστὶ πρηγμάτων, περιφερόμενος δὲ οὐκ ἐᾷ αἰεὶ τοὺς αὐτοὺς εὐτυχέειν.

**) I, 5.

Accedente notione justitiae vicissitudo haecce in eo consistit rerum cursu, quo perpetua serie injuriam excipit vindicta. Haec est cogitatio, qua diversae res et a se remotae in historia Herodotea conjunguntur. Mardonii casus est δίκη τοῦ φόνου τοῦ Λεωνίδεω, IX, 64. Oroeten, qui quondam Polycratem foedo supplicio affecerat, propter alia admissa facinora Darii jussu necatum, τίσιες μετῆλθον Πολυκράτεος, III, 128. Haec cogitatio subest inprimis exordio operis, quo scriptor ab hac quaestione proficiscitur, quaenam prior pars alteri injuriam intulerit. Hac mente primum antiquissimae injuriae, quibus altera pars alteram (Asia et Europa) affecerit, mutui raptus mulierum commemorantur, deinde ipse Croesum primum injuriarum auctorem affert *). Eadem moderationis divinae notione continetur etiam recti rerum ordinis (sittliche Weltordnung) cogitatio. Temperantia, modum servans et respondens aequalitati, a deo servatae, *virtutis*, contraria ei superbia, ὕβρις, *vitii* primaria est notio. Temperantia est agendi lex, quae summa est omnium, quas libro insertas videmus, cohortationum (Solonis, Amasidis etc.). Recta haec rerum ratio, civi-

*) Hac ratione Herodotus, alia Thucydides ad historiae suae argumentum nos introducit.

tati adhibita, est ἰσηγορίά s. ἰσονομία; contraria ei tyrannis, cui ὕβρις propria. Et in vita et in scriptis Herodoti amor liberae reipublicae odiumque tyrannidis conspicua sunt. V, 78. laudat juris aequalitatem, quae, quam praeclara sit res, cum ubique, tum eo, ait, apparere, quod Athenienses, a tyrannis regnati, nullis ex finitimis populis fuerint superiores, liberati vero tyrannis, longe primi evaserint; δηλοῖ δὲ οὐ κατ' ἓν μοῦνον, ἀλλὰ πανταχῆ, ἡ ἰσηγορίη ὡς ἔστι χρῆμα σπουδαῖον. Huc pertinet Sosiclis illa oratio, Corinthiorum legati, qua Spartanorum consilium, Hippiam in tyrannidem restituendi, dissuasurus, acerbissime invehitur in tyrannos, malaque, quae ab eorum insolentia passi sint Corinthii, exponit, V, 92 Qua in oratione, pulcherrimis illa haud dubie accensenda totius operis partibus, quo major conspicua est ars et verborum vis et ornatus, eo magis elucet Herodoti libertatis amor, studiumque, liberum civitatis statum civibus suis commendandi. — Exosus unius, nullis legibus adstrictam, dominationem, nihil negligit, quo perniciosa ejus vis appareat, quo inprimis Persarum regis effrenata insolentia vividis coloribus possit depingi. Haec in transitu de Herodoti libertatis amore, cum universali ejus recti rerum ordinis cogitatione arctissime cohaerente.

Ceterum hic locus non magis, quam, qui praecedit, considerandus est tanquam peculiaris philosophiae Herodoteae pars; neque separatim agi poterit de ethica Herodoti, quae potius tota continetur sensu ejus religioso. Unde, quid sit, quid debeat esse, subtiliori demum arteque subactae menti discreta (phil. metaph., concret., pract.), non discernit juvenilis rerum contemplatio. Hic evanescunt notionum discrimina, uno, omnia continente, sensu. Quod bonum est et quod necessarium, non distinguuntur; eadem vox, quod in fatis est, significat, eadem, quod decet, quod convenit (χρή, χρεών ἐστι, δεῖ).

Et hic quidem finis imponendus est quaestioni de mente et philosophia Herodoti. Hic est ambitus, quo extenditur scriptoris de rerum natura cogitatio. Vis divina, rerumque humanarum ratio atque ordo campum efficiunt, in quo mente cogitationeque versabatur; hae sunt materiae, de quibus philosophantem animique sensa prodentem videmus. Plenam vero perfectamque imaginem ipsa demum libri lectio praebebit, cujus tota ratione atque descriptione eam expressam conspicimus.